

fidelitatis praxin exacuat. Et cum *justitiæ* charisma, cum insigni reliquorum gratiæ bonorum comitatu conjunctum, fiduciæ evangelicæ causa sit ac perpetuum alimentum, eidem ipse salvator, Iesaja interprete, jungit *robur*, haud obscure significans, *fidelitatis* officium ab iis, qui *justitiæ* stola exornati sunt, ita explendum esse, ut in omnibus *corroborati* inveniantur ac victores.

PROPOSITIO UNDECIMA

De æquilibrio hoc, tanquam centro doctrinæ Christi.

Aequilibrium fidei ac fidelitatis
est centrum doctrinæ Christi & Apostolorum.

ILLUSTRATIO.

1. Ex ipsius Christi oraculis nobis unus etiam atque alter locus brevitatis causa hic sufficiat. Vix vero illustrior est ullus egregio illo Matth. XI, 28. 29. *Venite ad me omnes, quotquot laboratis & onerati estis, ego recreabo vos. Suscipite in vos jugum meum, & discite ex me, quod mitis sum & animi submissi; sic requiem invenietis pro animis vestris.* Hæc quovis melle ac lacte suavior ac dulcior invitatio Christi, cum amplissima summi boni, in animæ tranquillitate vere evangelica positi, promissione conjuncta, exsuscitat *fidem*, eamque eo alit constantius, quo jucundior ac perennior ejus est affluxus. Ista vero *fides* genuina ut ab ea, quæ naturalium est virium, distingui possit, & suo se *charactere fidelitatis*

com-